

lum est Ecclesiasticum preceptum: Et ob majorem reverentiam ipsius Sacramenti introductum: non est ergo cur obliget cum tanto rigore, Et cum evidente periculo, Et occasione majoris irreverentia ejusdem Sacramenti. Dico igitur; solum propter usum Sacramenti Et utilitatem suscipientis nunquam licere Laico sumere sanguinem Domini absq; dispensatione. Probatum ex generali prohibitione absq; ulla exceptione, quia nulla occurrere potest sufficiens causa, ob quam cesset hac obligatio, solo illo fine durante: quia illo non obstante facta est prohibitio. Dices occurrere posse mortis articulum, in quo possit infirmus Domini calicis haustum, non tamen Eucharistiam i. e. corpus deglutire ut dicitur in Concil: Toletano XI. capitul. 11. tunc enim licebit sumere, quia jus divinum preferendum est Ecclesiastico. Respondeo casum esse moraliter impossibilem, vel rarissimum, quia qui potest trajicere species vini, poterit etiam deglutire minimam hostia consecrata particulam, aqua aut vino non consecrato immisam, Et quamvis admittatur casus cum ille rarissimus sit, propter illum solum non censerem, dandam esse hanc licentiam, ne detur occasio indiscretis ministris ampliandi illam, Et similes casus facile admittendi sine necessitate. Unde minister nolens tunc dare Sacramentum jure excusabitur, quia propter gravissimam causam Et publicam d. facit, Et consequenter etiam excusabitur agrotus, vel quia non habet copiam Sacramenti, vel quia moraliter censetur impotens, Et ita non violabitur jus divinum, quod cum affirmativum sit non obligat semper sed occurrentibus moralibus circumstantiis. Nec tunc jus humanum preferitur divino, sed occasione humani juris tales occurrunt circumstantia morales, ut jus divinum affirmativum non obliget, quod frequens est hujusmodi preceptis. Ex quo loco corrigi potest Catechismus noster Papeus p. 39. c. a. in quem mendum irrepsit, quod parum arguta sedulitate in refutando, sui suorumq; plane ignarus dicaculus P. Georgius Haidelbergerus in Antidoro suo p. 164. prætermisit, forte persuasus, quemadmodum vel ipse fatetur, nil tam absurde quæquam suorum adstrue-